



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Abbati Et Conventvi Burguliensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

stodit. Hæc est quæ res difficiles ad facilitatem reducit. Hanc ergo curetis & vos taliter custodire ut per eam faciliter illas difficultates vincatis in quas, recedendo ab ipsa, vir instabilis & apostata vos induxit; pro certo sperantes quod adjuvante Domino sic intendimus in tentationibus vestris vobis in proximo subvenire quod ad instar evangelicæ mulieris, quæ cum pepererit filium, pressuræ non meminit, cum auxilium, quod expectamus de cælo, in vobis fuerit revelatum, succedentibus prosperis, adversitatum poteritis omnium oblivisci, nuntios vestros ad propria remissuri quam citò se facultas obtulerit opportuna. Virtutem quoque obedientiæ, quæ victimis antefertur, non solum erga nos, verum etiam erga venerabilem fratrem nostrum Brunonem Archiepiscopum vestrum fortes & intrepidi observetis, à qua si quis forsitan apostatando discederet, tanquam reus criminis idolatriæ, cui secundum Prophetam inobediencia comparatur, procul dubio puniretur. Datum Laterani III. Id. Martij, anno decimo.

.. *TURONENSI ARCHIEPISCOPO & .. de Chaloeio & .. de Oratorio Abbatibus ordinis Cisterciensis Andegavensis diocesis.*

*Epist. 10.  
Vt Hilarium  
Abbatem Burguliensem ad  
accedendum ad  
monasterium  
S. Iovini inducant & compellant  
pro fructuola penitentia  
sibi in iuncta in eo  
peragenda.*

**E**X parte dilectorum filiorum .. Abbatibus & Conventus Burgulienensis fuit propositum coram nobis quod Hilarius quondam monasterij sui Abbas, per diversas discurrens provincias, & conversationis pristinæ flagitia non abhorrens, per fautores & complices suos ac quosdam vicinos Abbates Turonensis & Andegavensis diocesum, qui eum dicuntur in suis iniquitatibus confovere, domos & redditus Burgulienensis monasterij sibi & suis instanter postulat assignari, ut sic locum & vocem obtinens in monasterio memorato, ejusdem tranquillitatem valeat perturbare. Quod quoniam Abbas & Conventus prædicti sibi concedere denegant, cum ejus malitiam plenariè sint experti, consanguinei, complices, & fautores ipsius earundem & Pictaviensis diocesum bona monasterij diripiunt violenter, & quorundam falsorum debitorum occasione prætentata contumelias monachis inferunt & jacturas, plerisque illorum truncationem membrorum & necem aliis intentantes. propter quod quamplures eorum ad procuranda negotia monasterij non audent accedere, scien-

tes illos nullum facinus abhorrere. In tantam enim vesaniam & audaciam proruperunt quod grangiam monasterij de nocte incendio devastarunt, monasterium ipsum cum adjacente burgo eodem incendio vastaturi, nisi ventus contrarius divina clementia excitatus flammam ignium avertisset. Cum igitur idem Hilarius ab administratione ipsius monasterij à nobis sententialiter exigente justitia sit amotus, & ad penitentiam peragenda in monasterio sancti Iovini de Marnis eundem præceperimus commorari, discretioni vestre per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus memoratum Hilarium, ut in claustrum præfati monasterij sancti Iovini resideat, & ibidem agat penitentiam fructuosam, juxta quod eundem duximus injungendum, nec extra ipsum monasterium evagetur, moneatis attentius & efficaciter inducatis. Alioquin ipsum ad id per excommunicationis sententiam, sublato appellationis obstaculo, cogere non tardetis, consanguineos, complices, & fautores ipsius à præfati monasterij & monachorum molestatione indebita & falsorum debitorum exactione, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sublata appellatione, districtè compescetis, & facientes eidem de damnis & irrogatis injuriis satisfactionem debitam exhiberi. Quod si non omnes, tu, frater Archiepiscopo, &c. Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis, anno decimo.

*ABBATI ET CONVENTUI  
Burgulienensi.*

**E**X parte vestra fuit propositum coram nobis quod Hilarius quondam Abbas monasterij vestri, sua potius quam quæ Iesu Christi sunt quærens, ut sibi secularium favorem acquireret & potentum, multis percipiendas à monasterio vestro concessit annuas pensiones, in ipsius monasterij præjudicium & gravamen, quas etiam quidam eorum, seculari freti potentia, non verentur à vobis per violentiam extorquere. Vnde nobis humiliter supplicastis ut super hoc indemnitati monasterij vestri dignaremur misericorditer providere. Nos igitur vestris precibus inclinati, auctoritate vobis præsentium indulgemus quatinus concessionem pensionum ipsarum ab eodem Hilario illicitè factas appellatione remota legitime revocetis. Nulli ergo &c. nostræ concessionis &c. Si quis autem &c. Datum ut in alia.

*Epist. 21.  
Mandatur ut  
indulgetur ut  
concessionem &  
pensionem per  
Hilariu quondam  
Abbatem eorum  
Abbatem illicite  
factas revocare  
possint.*